EXPOSITIO
NOVORUM EXPERIMENTORUM
CIRCA FRIGUS ARTIFICIALE.

Auctore
TOBIA LOWITZ.

Conventui exhibit. die 4 Decemb. 1794.

§. 1

De frigore artificiali doctrina digna sane est, quae summo physicorum studio excolatur; non enim est, quod dubitemus, quin eorum, quibus vehementissimum frigus excitari possit, mediorum uberior cognitio multa eaque memoratu non minus digna, quam utilia, inventa sit suppeditatura. Sicuti enim calor primaria immo unica fluiditatis omnium corporum caussa est, adeo, ut nullum fere in orbe nostro corpus solidum sit, quod igne magis magisque aucto, non flueret tandem, vel adeo in vapores vel aëris formam transiret; ita vice versa nullum fere est dubium, quin omnes non nisi sub fluiditatis statu hucusque visae substantiae frigore ad certum usque gradum aucto indurescerent.

§. 2. Ignem nobis longe magis, quam frigus, augere hucusque licuit; id quod ex eo potissimum patefiet si immanem illam distantiam inter summum, quem hodie novimus, ignis gradum et naturalem temperiem cum admodum exiguo illo discrimine inter eandem naturalem temperiem et maximum hucusque productum frigus artificiale,